

injunguntur. Credibile tamen est, quod per divinam misericordiam si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispenseretur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, ut patet per Damascenum in sermone de dormientibus sic dicentem: *Deus tamquam justus committitur impotenti possibilitatem, tamquam (2) sapiens vere defectuum commutationem negotiabitur*: quæ quidem negotiatio attenditur quod id quod deest uni, alter supplet.

QUÆSTIO III.

DEinde quæritur de orationibus Sanctorum, quibus pro nobis orant: & circa hoc quærentur tria. Primo. Utrum Sancti orationes nostras cognoscant. Secundo. Utrum debeamus omnes interpellare ad orandum pro nobis.

Tertio. Utrum orationes eorum pro nobis fusæ semper exaudiantur.

Utrum autem possimus Sanctos orare, & utrum Sancti qui sunt in patria, orent pro nobis, habitum est supra dist. xv.

ARTICULUS I.

Utrum Sancti orationes nostras cognoscant.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod Sancti orationes nostras non cognoscant. *Isai. XLIII. 16. Pater noster es, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit eos.* Glossa Augustini dicit, (3) quia mortui, & Sancti nesciunt quid agant vivi, etiam eorum filii: & sumitur ab Augustino in Lib. de cura pro mortuis agenda, ubi hanc auctoritatem inducit, & sunt hæc verba Augustini ibidem cap. XLII. *Si tanti Patriarchæ quid erga populum ab eis procreatum ageretur ignoraverunt, quomodo mortui vivorum rebus atque actibus cognoscendis, adjuvandisque miscerentur?* Ergo Sancti orationes nostras cognoscere non possunt.

2. Præterea. IV. Reg. XLII. 20. dicitur ad Josiam Regem: *Adcirco, quia scilicet flevistis coram me, colligam te ad patres... ut non videant oculi tui mala omnia quæ inducturus sum in locum istum.* Sed in hoc nullo modo per mortem Josiæ subventum fuisset, si post mortem genti suæ quid eveniret, cognosceret. Ergo Sancti mortui actus nostros non cognoscunt, & ita non intelligunt orationes nostras.

3. Præterea. Quanto aliquis est in charitate perfectior, tanto magis proximo in periculis subvenit. Sed Sancti in carne viventes proximis, & maxime sibi conjunctis in periculis & consulunt, & auxiliantur manifeste. Cum ergo post mortem sint multo majoris charitatis, si facta nostra cognoscerent, multo amplius suis caris sibi conjunctis consulerent, & auxiliarentur in necessitatibus; quod facere non videntur. Ergo non videtur quod actus nostros, & orationes cognoscant.

4. Præterea. Sicut Sancti post mortem vident (4) Verbum, ita & Angeli, de quibus dicitur Matth. XVIII. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Sed Angeli Verbum videntes non propter hoc omnia cognoscunt, cum à nescientia minores à superioribus purgentur, ut patet per Dionysium in VI. cap. eccles. Hierar. Ergo nec Sancti, quamvis Ver-

(2) Al. suscipiens. (3) Nicolai: quia etiam mortui Sancti. (4) Al. Verbum tantum, & Angeli. (5) Nicolai: Quamlibet enim parum de luce, &c.

bum videant, in eo nostras orationes cognoscunt, & alia quæ circa nos aguntur.

5. Præterea. Solus Deus est inspector cordium. Sed oratio præcipue in corde consistit. Ergo solius Dei est orationes cognoscere: non ergo Sancti orationes nostras cognoscunt.

Sed contra super illud Job XIV. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*: dicit Beatus Gregorius XII. Lib. Moral. cap. XIV. „Hoc de animabus sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est quod sit foras aliquid quod ignorent.“ Ergo ipsi orationes sibi factas cognoscunt.

Præterea. Gregorius in II. Dialog., cap. XXXV. *Anima videnti Creatorem angusta est omnis creatura.* (5) *Quantumlibet enim de luce Creatoris aspexerit, brevis sit ei omne quod creatum est.* Sed hoc maxime impediret videretur quod animæ Sanctorum orationes, & alia quæ circa nos aguntur, cognoscant, quia à nobis distant. Cum ergo distantia illa non impediat, ut ex prædicta auctoritate patet, videtur quod animæ Sanctorum cognoscant orationes nostras, & ea quæ hic aguntur.

Præterea. Si ea quæ circa nos aguntur, non cognoscerent, nec pro nobis orarent, quia defectus nostros ignorarent. Sed hic est error Vigilantii, ut Hieronymus dicit in epistola contra eum. Ergo Sancti ea quæ circa nos aguntur, cognoscunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod divina essentia est sufficiens medium cognoscendi omnia: quod patet ex hoc quod Deus videndo suam essentiam omnia intrinsecus. Non tamen sequitur quod quicumque essentiam Dei videt, omnia cognoscat, sed solum qui essentiam comprehendit; sicut nec principio aliquo cognito, consequens est omnia cognosci quæ ex principio consequuntur, nisi tota virtus principii comprehendatur. Unde cum animæ Sanctorum divinam essentiam non comprehendant, non est consequens ut omnia cognoscant quæ per essentiam divinam cognosci possunt: unde etiam de quibusdam inferioribus Angelis à superioribus edocentur, quamvis omnes essentiam divinam videant. Sed unusquisque beatus tantum de aliis rebus necessarium est ut in essentia divina videat, quantum perfectio beatitudinis requirit, ut homo habeat quiddam vellet, nec aliquid inordinate velit, sicut infra dist. XLIX. quæst. 11. art. 5. habetur. Hoc autem recta voluntate quilibet vult ut ea quæ ad ipsum pertinent, cognoscat: unde cum nulla rectitudo Sanctis desit, volunt cognoscere ea quæ ad ipsos pertinent: & ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet quod auxilium indigentibus præbeant ad salutem: sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit III. cap. eccles. Hierar. Unde patet quod Sancti cognitionem habeant eorum quæ ad hoc requiruntur: & sic manifestum est quod in verbo cognoscunt vota, & orationes, & devotiones hominum qui ad eorum auxilium confugiunt.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum de cognitione naturali animarum separatarum: quæ quidem cognitio in Sanctis viris non est obtenebrata, sicut est in peccatoribus:

non autem loquitur de cognitione in Verbo, quam constat Abraham eo tempore quo hæc dicta sunt per Isaiam, non habuisse, cum ante passionem Christi nullus ad visionem Dei pervenerit.

Ad secundum dicendum, quod Sancti etsi post vitam cognoscant quæ hic geruntur, non tamen credendum est quod afficiantur doloribus, cognitis adversitatibus eorum quos hic in sæculo dilexerunt: ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis quod dolor in eis locum (4) non invenit: unde si cognoscant suorum infortunia post mortem, nihilominus eorum dolori consulitur, si ante hujusmodi infortunia de hoc sæculo subtrahuntur. Sed forte animæ non glorificata dolore aliquem sentirent, si incommoda suorum charorum perciperent. Et quia anima Josiæ non statim glorificata fuit à corpore egressa, quantum ad hoc ex hac ratione Augustinus concludere nititur quod animæ mortuorum non habent cognitionem de factis viventium.

Ad tertium dicendum, quod animæ Sanctorum habent voluntatem plenarie conformem divinæ voluntati, etiam in volito: & ideo quamvis affectum charitatis ad proximum retineant, non tamen eis alter auxilium ferunt quam secundum quod per divinam justitiam vident esse dispositum. Et tamen credendum est quod multum proximis juvent, pro eis apud Deum intercedendo.

Ad quartum dicendum, quod quamvis videntes Verbum non sit necessarium omnia in Verbo videre; vident tamen ea quæ ad perfectionem pertinent beatitudinis eorum, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod cogitationes cordium solus Deus per seipsum novit; sed tamen alii cognoscere possunt quatenus eis revelatur vel per visionem Verbi, vel quocumque alio modo.

ARTICULUS II.

Utrum debeamus Sanctos orare ad interpellandum pro nobis.

2. 2. quæst. LXXXII. art. 11.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod non debeamus Sanctos orare ad interpellandum pro nobis. Nullus enim amicus alicujus interpellat ad orandum pro se, nisi quatenus apud eos credit facilius gratiam obtinere. Sed Deus est infinitum magis misericors quolibet Sancto, & sic ejus voluntas facilius inclinatur ad nos exaudiendum, quam voluntas alicujus Sancti. Ergo videtur superfluum esse constituere Sanctos mediatores inter nos & Deum, ut ipsi pro nobis intercedant.

2. Præterea. Si eos ad orandum pro nobis interpellare debemus, hoc non est nisi quia scimus eorum orationem esse Deo acceptam. Sed quanto aliquis est sanctior inter Sanctos, tanto ejus oratio est magis Deo accepta. Ergo semper deberemus superiores Sanctos pro nobis intercessores constituere ad Deum, & nunquam minores.

3. Præterea. Christus secundum etiam quod homo, dicitur Sanctus Sanctorum, & ei secundum quod homo orare competit. Sed nunquam Christum ad orandum pro nobis interpellamus. Ergo nec alios Sanctos interpellare debemus.

4. Præterea. Quicumque rogatus ab aliquo pro eo intercedit, preces ipsius ei repræsentat apud quem

In IV. Sent. Tom. V.

(4) In editis: non invenit, si cognoscant suorum infortunia post mortem: nihilominus &c.

pro eo intercedit. Sed superfluum est aliquid repræsentare ei cui sunt omnia potentia. Ergo superfluum est quod Sanctos pro nobis intercessores constituamus ad Deum.

5. Præterea. Illud est superfluum quod fit propter aliquid quod sine eo eodem modo fieret, vel non fieret. Sed similiter Sancti orant pro nobis, vel non orant, sive nos oremus eos, sive non oremus: quia si sumus digni ut pro nobis orarent, etiam nobis eos non orantibus, pro nobis orarent; si autem sumus indigni, etiam si petamus, pro nobis non orant. Ergo interpellare eos ad orandum pro nobis videtur omnino superfluum.

Sed contra est quod dicitur Job V. 1. *Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Vocare autem nostrum, ut Gregorius ibidem dicit Lib. V. Moral. cap. xxx. est humili Deum prece deprecere. Ergo cum volumus orare Deum, debemus ad Sanctos converti, ut orent pro nobis ad Deum.

Præterea. Sancti qui sunt in patria, magis sunt accepti Deo quam in statu viæ. Sed Sanctos qui sunt in via, constituere debemus interpellatores pro nobis ad Deum exemplo Apostoli, qui dicebat Rom. xv. 30. *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Ergo & nos multo fortius petere debemus à Sanctis qui sunt in patria, ut nos juvent orationibus ad Deum.

3. Præterea. Ad hoc est communis consuetudo Ecclesiæ, quæ in litanis Sanctorum orationem petit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod iste ordo est divinitus institutus in rebus secundum Dionysium ut per media ultima reducatur in Deum. Unde cum Sancti qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divina legis ordo requirit ut nos qui manentes in corpore peregrinamur à Domino, in eum per Sanctos medios reducatur; quod quidem contingit, dum per eos divina bonitas suam effectum diffundit. Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatis ipsius ad nos, sicut medianibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus medianibus Sanctis: & inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, & quasi mediatores dum ab eis petimus quod pro nobis orent.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut non est propter defectum divinæ potentie quod medianibus secundis causis agentibus operatur, sed est ad complementum ordinis universi, & ut ejus bonitas multipliciter diffundatur in res, dum res ab ea non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant; ita etiam non est propter defectum misericordie ipsius quod oporteat ejus clementiam per orationes Sanctorum pulsare, sed est ad hoc ut ordo prædictus conservetur in rebus.

Ad secundum dicendum, quod quamvis superiores Sancti sint magis Deo accepti quam inferiores, utile tamen est etiam minores Sanctos interdum orare; & hoc propter quinque rationes. Primo, ex hoc quod aliquis quandoque habet majorem devotionem ad Sanctum minorem quam ad majorem; ex devotione autem maxime dependet orationis effectus. Secundo, propter fastidium tollendum, quia assidue

Li 2 uni-

unius rei fastidium parit; per hoc autem quod diversos Sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur. Tertio, quia quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari, sicut Sancto Antonio ad ignem infernalem. Quarto, ut honor debitus omnibus exhibeatur. Quinto, quia plurium orationibus quandoque impetratur quod unius oratione non impetraretur.

Ad tertium dicendum, quod oratio est actus quidam; actus autem sunt particularium suppositorum: & ideo si diceremus, *Christe ora pro nobis*, nisi aliquid adderetur, videremur hoc ad personam Christi referre: & ita videretur esse consonum vel errori Nestorii, qui distinxit in Christo personam Filii hominis à persona Filii Dei; vel errori Arii, qui posuit personam Filii minorem Patre. Unde ad hos errores evitandos Ecclesia non dicit, *Christe ora pro nobis*, sed *Christe audi nos*, vel *Miserere nobis*.

Ad quartum dicendum, quod, sicut infra dicitur, non dicuntur Sancti preces nostras Deo representare, quasi ei incognita manifestent; sed quia eas exaudiri à Deo petunt, vel de eis divinam consulunt veritatem, quid scilicet secundum ejus providentiam fieri debeat.

Ad quartum dicendum, quod ex hoc ipso aliquis efficitur dignus ut Sanctus aliquis pro eo oret, quod ad ipsum cum pura devotione in sua necessitate recurrit; & ita non est superfluum quod Sanctos oremus.

ARTICULUS III.

Utrum orationes Sanctorum pro nobis ad Deum fuse semper exaudiantur.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod orationes Sanctorum pro nobis ad Deum fuse non semper exaudiantur. Si enim exaudirentur, maxime exaudirentur Sancti de his quæ ad eos pertinent. Sed de his non exaudiantur: unde dicitur Apocalyp. vi. quod Martyribus perentibus vindictam his qui sunt super terram, dictum est ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec impleretur numerus fratrum suorum. Ergo multo minus exaudiantur de his quæ ad alios pertinent.

2. Præterea, Hierem. xv. i. dicitur: *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Sancti non semper exaudiantur, cum pro nobis orant ad Deum.

3. Præterea, Sancti in patria æquales Dei Angelis esse commemorantur, ut patet Matth. xxii. Sed Angeli non semper exaudiantur in suis orationibus quas fundunt ad Deum; quod patet ex hoc quod habetur Daniel. x. 12. ubi dicitur: *Ego veni propter sermones tuos: Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus.* Non autem venerat in adiutorium Danielis Angelus qui loquebatur, nisi à Deo liberationem eorum petendo; & non est impetrata orationis ejus impletio. Ergo nec etiam alii Sancti orantes pro nobis apud Deum semper exaudiantur.

4. Præterea, Quicumque oratione impetrat aliquid, quodammodo meretur illud. Sed illi qui sunt in patria, non sunt in statu merendi. Ergo non possunt suis orationibus nobis aliquid impetrare apud Deum.

5. Præterea, Sancti per omnia conformant voluntatem suam voluntati divinæ. Ergo non volunt nisi quod sciunt Deum velle. Sed nullus orat nisi quod vult. Ergo non orant pro eo nisi quod sciunt Deum velle. Sed hoc quod Deus vult, fiet eis etiam non orantibus. Ergo eorum rationes non sunt efficaces ad aliquid impetrandum.

6. Præterea, Orationes totius cœlestis curiæ, si aliquid impetrare possunt, efficaciores essent quam omnia præsentis Ecclesiæ suffragia. Sed multiplicatis suffragiis præsentis Ecclesiæ factis pro aliquo in purgatorio existente, totaliter absolveret à pœna. Cum ergo Sancti qui sunt in patria, eadem ratione orent pro illis qui sunt in purgatorio, sicut & pro nobis; si nobis aliquid impetrant, illos qui sunt in purgatorio totaliter orationes eorum à pœna absolverent; quod falsum est, quia sic suffragia Ecclesiæ pro defunctis facta superflua essent.

Sed contra est quod habetur II. Machab. ult. 14. *Hic est qui multum orat pro populo, & pro universa civitate Hieremias Propheta Dei.* Et quod ejus oratio sit exaudita, patet per hoc quod sequitur, quod extendit Hieremias dexteram, & dedit Judæ gladium, dicens: *Accipe Sanctum gladium munus à Deo in quo deficiet adversarios populi Dei.*

Præterea, Hieronymus in epistola contra Vigilantium: *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo orare pro nobis possumus: & hoc postea improbat, dicens sic: Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?*

Præterea, Ad hoc est consuetudo Ecclesiæ, quæ frequenter petit ut Sanctorum orationibus adjuvetur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. Uno modo oratione expressa, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant; alio modo oratione interpretativa, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu Dei existentia non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia, & orationes quædam; sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam perere. Utroque autem modo Sanctorum orationes sunt, quantum est in ipsis, efficaces ad impetrandum quod petunt; sed ex parte nostra potest esse defectus, quod non assequamur fructum orationum ipsorum, secundum quod pro nobis orare dicuntur ex hoc quod merita ipsorum nobis proficiunt; sed secundum quod orant pro nobis, votis suis nobis aliquis postulando, semper exaudiantur, quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri: quod autem Deus simpliciter vult, impletur, nisi loquamur de voluntate antecedente, secundum quam vult omnes homines salvos fieri, quæ non semper impletur. Unde nec est mirum, si etiam quod Sancti volunt per hunc modum voluntatis, interdum non impletur.

Ad primum ergo dicendum, quod illa oratio Martyrum non est aliud quam eorum desiderium de obtinenda stola corporis, & societate Sanctorum qui salvandi sunt, & consensus quo consentiunt divinæ justitiæ punienti malos: unde Apoc. vi. super illud: *Usquequo Domine &c.* dicit Glossa: „Desiderant majus gaudium, & consortium Sanctorum, & justitiæ Dei consentiunt.“

Ad secundum dicendum, quod Dominus loquitur ibi de Moyse, & Samuele secundum statum quo conferunt in hac vita: ipsi enim leguntur pro populo orantes iræ Dei restitisse, ut Glossa interlinealis dicit: & tamen si illo tempore fuissent, non potuissent, orationibus Deum placare ad populum propter populi illius malitiam: & hic est intellectus litteræ.

Ad tertium dicendum, quod pugna bonorum Ange-

gelorum non intelligitur ex hoc quod apud Deum contrarias orationes runderent, sed quia contraria merita ex diversis partibus ad divinum examen referre-bant, divinam sententiam expectantes; & hoc est quod Gregorius dicit XVII. Moral. cap. viii. exponens prædicta verba Danielis: *Sublimis spiritus gentibus principantes nequaquam pro injuste agentibus decertant, si eorum facta recte judicantes examinant; cumque uniuscujusque gentis vel culpa, vel justitia ad supernæ curiæ solium ducitur, ejusdem gentis præpositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur: quorum tamen omnium una victoria est super se opificis voluntas summa; quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, (1) nequaquam volunt: unde nec petunt.* Ex quo & patet quod orationes eorum semper audiuntur.

Ad quartum dicendum, quod licet Sancti non sint in statu merendi sibi postquam sunt in patria, sunt tamen in statu merendi aliis, vel potius ex merito præcedenti alios juvandi: hoc enim apud Deum viventes meruerunt, ut eorum orationes exaudirentur post mortem. Vel dicendum, quod oratio ex alio meretur, & ex alio impetrat. Meritum enim consistit in quadam adæquatione actus ad finem propter quem est, qui ei quasi merces redditur, sed orationis impetratio inicitur liberalitati ejus qui rogatur, quod tamen ipse non meruit, & ita quamvis Sancti non sint in statu merendi, tamen non sequitur, quod non sint in statu impetrandi.

Ad quintum dicendum, quod, sicut ex auctoritate Gregorii inducta patet, Sancti non volunt, vel Angeli nisi quod in divina voluntate conspiciunt; & ita etiam nihil aliud petunt: nec tamen eorum oratio est instructuosa: quia, sicut dicit Augustinus in Lib. de prædestinatione Sanctorum, orationes Sanctorum prædestinatis prosunt, quia forte præordinatum est ut orationibus intercedentium solvantur: & ita etiam Deus vult ut orationibus Sanctorum impieatur illud quod Sancti vident eum velle.

Ad sextum dicendum, quod suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis quasi quædam satisfactiones viventium vice mortuorum; & secundum hoc mortuos à pœna absolvunt, quam non solverunt. Sed Sancti qui sunt in patria, non sunt in statu satisfaciendi; & ideo non est simile de eorum orationibus, & de suffragiis Ecclesiæ.

EXPOSITIO TEXTUS.

CUM facta fuerit resurrectio, bonorum gaudium amplius erit &c. Hoc intelligendum est materialiter, quia de pluribus gaudebunt; sed non formaliter, quia non magis gaudebunt, ut dictum est. Sed de hoc magis infra dicitur dist. xlii.

Nam qui sine fide operante per dilectionem, ejusque sacramentis de corpore exierunt, frustra illis à suis hujusmodi pietatis officia impenduntur. Secundum hoc

DISTINCTIO XLVI.

Si valde malis detur mitigatio pœnæ.

SED queritur hic de valde malis, utrum & ipsi in aliqua pœnarum mitigatione Dei misericordiam sentiant, ut minus quam meruerint, puniantur. Quidam autem eos nullam revelationem pœnæ habituros, quod confirmant Jacobi auctoritate, dicens, cap. 11. 13. „Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam.“

(1) Nicolai: numquam.

videtur quod suffragia Ecclesiæ non prosunt catechumenis in fide Ecclesiæ decedentibus; cum tamen illi sint in statu salutis, ut patet ex dictis supra dist. iv. Et dicendum, quod licet non susceperint sacramenta Ecclesiæ actu, susceperunt tamen voto, quod pro facto computatur, cum deest facultas.

Mediocriter malis suffragantur &c. Ista verba à diversis diversimode exponuntur. Illi enim qui dicunt suffragia Ecclesiæ prodesse existentibus in inferno, dicunt alios esse mediocriter bonos, & alios mediocriter malos. Dicunt enim valde malos esse eos qui sine fide, & sacramentis Ecclesiæ decesserunt; & his dicunt nihil prodesse suffragia: sed mediocriter malos eos qui cum fide, & sacramentis Ecclesiæ, in peccato tamen mortali, decesserunt; quibus secundum eos valent suffragia ad pœnæ mitigationem, non autem ad pœnæ solutionem. Sed valde bonos dicunt illos qui sine criminali decedentes, statim evolvant; qui suffragiis non indigent: mediocriter vero bonos qui cremabilia secum ferunt, & in purgatorio detinentur; & his dicunt prodesse suffragia ad plenam absolutionem. Qui vero dicunt suffragia non prodesse his qui sunt in inferno, dicunt eosdem esse mediocriter malos, & mediocriter bonos. Omnes enim qui sunt in inferno valde malos dicunt, qui vero in patria valde bonos; eos vero qui sunt in purgatorio dicunt mediocriter bonos, in quantum deficiunt à perfectione bonitatis, sed & mediocriter malos, in quantum deficiunt à perfecta malitia, quæ est peccatum mortale. His autem suffragia quandoque prosunt ad mitigationem pœnæ, quandoque ad plenam absolutionem secundum differentiam quantitatis cremabilium, & suffragiorum: & hæc expositio est convenientior.

Injuria est pro Martyre in Ecclesia orare. Hoc videtur contra illud quod supra dictum est, quod orationes pro valde bonis sunt gratiarum actiones. Et dicendum, quod superior auctoritas loquitur, quando incertum est nobis, quando sint valde boni, pro quibus oratur; hic autem Augustinus loquitur, quando certum est qui sunt valde boni: sic enim qui pro eis orat, quodammodo eos indigentes ostendit, & sic eis injuriam facit.

Æstimo eum quasi per ignem transuentem &c. Hic ponuntur duo auxilia: quorum unum adjuvabit illos qui in fine mundi invenientur per modum satisfactionis, scilicet ignis quo facies mundi purgabitur; poterit enim esse ut intensio pœnæ suppleat quiddam deest ad temporis breviteratem, & præcipue eum sit probabile quod pauca cremabilia sint habituri, utpote purgati per terrorem futuri judicii ex signis præcedentibus præostensi. Aliud autem est ex vi charitatis, scilicet merita, & intercessiones Sanctorum, quæ eis suffragantur virtute charitatis.

Sive consulendo quid faciant &c. Istud consilium nihil est aliud quam conversio eorum ad Deum, ut ab eo illuminationem percipiant de agendis.